

DIE II. AUGUSTI.

IN FESTO

S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Introitus. Luc. 4. 18.

Spíritus Dómini super me, propter quod unxit me; evangelizare paupéribus misit me, sanare contritos corde.

Psalm. 77. Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Gloria Patri...

Oratio.

Deus qui per beátum Alphónsum Mariám Confessórem tuum, atque Pontíficem animárum zelo succénsus Ecclésiám tuam nova prole fecundásti: quæsumus; ut ejus salutáribus mónitis edócti, et exémplicis roboráti, ad te pervenire feliciter valeámus. Per Dóminum nostrum...

Et fit commemoratio S. Stephani Papæ et Martyris.

Lectio Epístolæ B. Páuli Apóstoli ad Timótheum.

Timoth. 2. 2.

Charíssime: Confortáre in grátia, quæ est in Christo Jesu, et quæ audisti á me per multos testes hæc commenda fídelibus homínibus, qui idónei erunt et alios docére. Labóra, sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo, implicat se negótiis seculáribus, ut ei pláceat, cui se probávit. Nam et qui certat

in agóne, non coronáatur, nisi legítimè certáverit. Laborántem agricolam opórtet primùm de frúctibus percípere. Intéllige quæ dico: dabit enim tibi Dóminus in ómnibus intelléctum.

Graduale. *Psalm. 118. 52.* Memor fui judiciórum tuórum à século, Dómine, et consolátus sum; deféctio ténuít me pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Psalm. 39. 11. Justítiam tuam non abscondi in corde meo; veritátem tuam, et salutáre tuum dixi. Allelúia, allelúia.

Ecli. 49. 3. 4. Ipse est directus divinitus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis: et gubernávit ad Dóminum cor ipsíus; et in diébus peccatórum corroborávit pietátem. Allelúia.

Si celebretur post Septuagesimam, omissis Allelúia, et versu sequenti, dicitur.

Tractus. *Psalm. 34. 13.* Ego autem cùm mihi moléstí essent, induébar cilício: humiliábam in jejúnio ánimam meam: et orátio mea in sinu meo convertétur.

Psalm. 22. 5. Parásti in conspéctu meo mensam advérsus eos, qui tríbulant me: impinguásti in óleo caput meum, et

calix meus inébrians quàm præclárus est!

✠. 1. *ad Corinth.* 9. 22. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifácerem.

Tempore Paschali omisso Graduali dicitur Allelúia, Allelúia.

✠. *Psalm.* 132. 1. et 2. Ecce quàm bonum, et quàm jucúndum habitáre fratres in unum, sicut unguéntum in cápite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Allelúia.

✠. *Joann.* 15. 16. Pósuí vos, ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat. Alleluia.

✠. **Sequéntia sancti Evangélíi**
secúndum Lucam.

Luce 10.

In illo témpore: Designávit Dominus et álios septuagínta duos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem, et locum, quò erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem páuci. Rogáte ergo dómínium messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quameúmque domum intravéritis, primúm dicite: Pax huic dómui, et si ibi fúerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mer-

céde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quameúmque civitátem intravéritis, et suscepérint vos, manducáte quæ apponúntur vobis; et curáte infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium. *Prov.* 3. 9. 27. Honóra Dómínium de tua substantia, et de primítiis ómnium frugum tuárum da ei. Noli prohibére benefácere eum, qui potest, si vales, et ipse benefac.

Secreta.
Cœlésti, Dómine Jesu Christe, sacrificii igne corda nostra in odórem suavitátis exúre, qui Beáto Alphónso Mariæ tribuisti, et hæc mystéria celebráre, et per eádem hóstiam tibi sanctam seípsum exhibére. Qui vivis...

Secreta pro S. Stephano.

Communio.

Echi. 50. 1. 9. Sacérdos magnus qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corrobóravít templum, quasi ignis affúlgens, et thus ardens in igne.

Postcommunio.
Deus, qui Beátum Alphonsum Mariam Confessorem tuum, atque Pontíficem, fidélem divíni mystérii dispensatórem, et præcónem effecísti: ejus méritis, precibúisque concéde; ut fideles tui et frequéntér percípiant, et percipiéndò sine fine colláudent. Per Dómínium...

Postcommunio S. Stephani.